



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal:  
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

**Spirens., 1660**

2.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**

ctur iuris, quia à iure introducta, & de iure, quia super tali præsumptione lex inducit firmum ius, & eam pro veritate habet, ita ut non admittat probationem in contrarium, uti admittit præsumptio iuris tantum. Talis est præsumptio consensus matrimonialis, quæ oritur ex concubitu sponsi cum sponsa *cap: qui fidem de spons: quamvis tale matrimonium præsumptum inter sponsum & sponsam ob carnalem copulam subsequutam, hodiè abrogatum sit, per Trid: sess: 24. cap. 1.* Huiusmodi quoq; præsumptiones sunt, quæ extant in *L. antiqua C. ad SC. Vel. in L. fin. C. ad Maced.*

2. Præsumptiones oriuntur, vel ex naturali causa, & naturalibus principiis, ut præsumptio, quâ præsumitur esse ignis, unde fumus exire conspicitur: quæ merito violenta dici potest, cum sit prorsus necessaria, nec probationem in contrarium admittat: vel certè oriuntur ex principiis, conjecturis, indiciis humanis, aliisve circumstantiis Lege humanâ approbatis; quamvis præsumptio iuris & de iure desumatur exactis præteriti temporis,

probationem in contrarium non admittens nisi certis casibus, de quibus *Valens lib: 2. tit. 23. num: 6. 7. 8. 9. 10.* rejecto in adversarium probandi onere *ibid: n: 11.* qui præsumptionem juris & de jure pro se habens, eam allegare non tenetur, quia lex eam, pro veritate habet, quam Judex velit nolit sequi debet: quod non procedit quando præsumptio oritur ex facto proprio, hæc enim præsumptio juris est, & ideo alleganda: dico proprio, quia quando oritur ex facto adversarii, cuius mentem & animum non nosti, imputari non debet, si eam non alleges. Vide *Menoch. lib. 1. q. 2. & seq.*

3. Infero ex dictis præsumptivam veram probationem haberi, si ve juris ea, aut de jure simul fuerit: quia non minus veritas ex probabilibus quam necessariis colligitur, ut proinde filiatio præsumptiva probata (si vicinis aut aliis scientibus in domo viri natus ex muliere fueris) sufficiens sit; *L. si vicinis C. de nupt: non obstantibus* quod mater in actis spurium te professus fuerit. *L. Imperatores ff. de prob. cap: 1. jun. cap. laudabilem de frigid. & malefic.* Idemque est si te-